

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Conuersacio z
cum fonte primo

Quando.

Est enim tempus quando nichil
et est tempus quando aliquid est dicendum,
nullum uero tempus est quando dicenda sunt omnia.

Tempus enim tacendi debet precedere tempus loquendi.
Propterea non ait Salomon
tempus loquendi et tempus tacendi,
sed tempus tacendi et tempus loquendi
quia prius per silentium tempore tacendi discitur
quod postea per uerbum tempore loquendi proferatur.

Sapiens enim eque cauet
uel ne tempore quando loqui debet
per negligentiam sileat,
uel ne in omni tempore quando loqui licet
per licentiam concessam in multiloquium cadat.
Recte ergo tempus loquendi discernitur
si homo non semper quando loqui debet sileat,
nec semper quando licet loquatur.

Ibidem (Hugo de disciplina monachorum).

Quarta loquendi discretio est
quando quid dicendum sit attendere.

Est tempus quando nihil,
et est tempus quando aliquid dicendum est,
nullum uero tempus est quando dicenda sunt omnia.

Tempus est quando nihil dicendum est,
→ quia tempus tacendi; et tempus quando aliquid, quia
tempus loquendi, tempus uero quando omnia,
nunquam, quia sicut idem Salomon ait:

*Mala aurea in lectis argenteis,
qui loquitur uerbum in tempore suo (Prov. XXV).*

Habet igitur omne uerbum tempus suum
quando proferri debeat, tempus quando taceri.

Quando autem loquendum sit, melius ostendemus,
si prius quando tacendum sit demonstramus.

Tempus enim tacendi tempus loquendi debet praecedere,

←

quia prius per silentium tempore tacendi discitur,
quod postea per uerbum tempore loquendi proferatur.

Hugo de sancto Victore, *De institutione nouitiorum*, 16
(PL 176, col.946C-D).

Sapiens autem aequae cauet,
uel ne eo tempore quando loqui debet,
per negligentiam sileat,
uel ne omni tempore quando loqui licet,
per licentiam concessam in multiloquium cadat.
Recte ergo tempus loquendi discernitur,
si homo nec unquam quando loqui debet, sileat,
nec semper quando licet, loquatur.

Hugo de sancto Victore, *De institutione nouitiorum*, 16
(PL 176, col.948A).